

monasteria Christi auxilio construens per singula 12 monachos deputavit. Anno incarnationis 542 temporibus Iustini et Iustiniani imperatorum.

[I 2] Cui successit Constantinus, *inde* Simplicius, 4^{us} Vitalis, 5^{us} Bonitus. Quo tempore Longobardi prefatum cenobium nocturno tempore ingressi ne unum quidem hominem capere potuerunt, ut sermo sancti patris Benedicti compleretur, quem dixerat: „Vix optinere potui, ut ex hoc loco mihi anime concederentur.“

[I 4] Quod religiosus quidam Petronax admonitus per papam Gregorium reformavit.

[I 7] Karolus filius Karoli regno terreno relicto Romam venit; quem papa Zacharias clericum ordinans ad *idem* monasterium sub regulari magisterio servitutum cum universis opibus suis transmisit.

[I 8] Tunc Ratchis rex Longobardorum fuit. Cui successit Aystulphus, qui Ravennam cepit et Romam per tres menses obsedit. D(ei)n(de) *idem* papa predictus Franciam ire compulsus Pypinum et filios eius et Karolum magnum unxit in reges. Idem vero rex cum prefato pontifice Ytaliā veniens Ravennam et 20 alias civitates supradicto Aystulfo abstulit et sub iure apostolice sedis redegit, propter quod tunc patricius Romanorum constitutus est etc.

[I 12] Karlomannus filius Pypini invitatus ab Adriano papa cum valido Francorum atque Saxonum exercitu venit super civitatem Papyam propter Desiderium sevissimum regem, qui civitates invaserat, eamque 6 menses obsidens cepit cunctumque Longobardorum regnum filio suo Pypino contradidit. Desiderium secum in Franciam asportavit anno *gracie* 774^o.

[I 15] Paulus dyaconus notarius *predicti* regis post captionem eius et Arichys principis Beneventani obitum *suscepit* habitum sancte religionis in *Cassyno*. Karolo pro sua *providencia* carus et familiaris effectus a quibusdam invidis accusatur regi, quod eum propter fidelitatem domini sui Desiderii voluisset occidere. Quem rex interrogans, an sic esset, constanter respondit se pro certo fidelissimum domini sui semper fuisse et in ea se fidelitate cum vita perseverare. Ad hec rex *iratus* precepit eum manibus privari, moxque in se reversus et reminiscens magne illius sciencie suspirans ait: „Et si manus ei abscinderimus, ubi tam elegantem scriptorem et insignem hystoriographum reperiemus?“ Et ait proceribus assistantibus: „Quid super hoc vobis videtur?“ Illi vero considerantes circa illum regis benivolenciam suaserunt, ut in *exilium* relegaretur. Factumque est *ita*. Ubi cum per aliquod exul mansisset, quidam qui ei propter Deum prebebat obsequium, illum *perduxit* Beneventum. *Inde*